

castitatem invocari debet, dicit *Heinsius*, neque etiam Diana est conciliatrix amoris, sed Venus. *Delrio* tamen & *Farnabius* ita excusant, quod invocavit Dianam tanquam Numen patrium, & non ut faveat, sed ne obstet facinori suo. hoc quoque non bene. Multa etiam absurda dicit *Hippolytus* in oratione invectiva in genus muliebre, qui tamen erat discipulus ἀγνῆ Πηδέως v. 11. adcoque Philosophus. quorsum enim ista v. 618.

Ἐι γὰρ βρόττον ἠδελος ἀπείραι ἦν, &c.

an non absurda? quæ etiam *Scholias* observavit, οἱ γὰρ πένητες ἐκ αἰ ἐκτίσαντο παῖδας, quorum tamen pars maior est, quam divitum, qui dona ista, quorum ibi meminit, possident. Deinde quorsum Jovi est opus auro, ære, ferro? insuper si ἔπιμήματα τῆς ἀξίας ἕκαστον ἀέριμα πείαδα oportet: annon plures erunt mali quam boni, quomodo cunq; hæc verba accipiantur. dupliciter enim ut *Scholias* notat, capi possunt: alii enim de æstimatione doni accipiunt; alii de æstimatione illius, qui hæc dona offert. si prius est, tum tanto meliores quis liberos habebit, quanto splendidius donū dederit; tanto peiores, quanto vilius. palam autē est, pauciores esse, qui aurū possideant, quam ferrum; imo etiam est rarior proventus auri, quā ferri: pauciores igitur erunt boni. Si posterius, tum mali non nisi malos dabunt, unde brevis tanta malorum seges futura esset, ut omnes boni ab iis opprimerentur. Verum nemo non videt, quam puerilia hæc sint, & non deceant hominem φρονῶντα γνήσια, ut prius eum descripserat v. 309. talia sunt quæ habet v. 634. quasi statim necesse esset, si quis bene in coniugio viveret, ut semper habeat malos affines; aut si affines sint boni, uxor sit mala; aut ille felicissime vivat, qui simplicem habet uxorem. Nec melioris commatis sunt, quæ sequuntur, v. 645. Certe *Euripides* mihi hic videtur potius seipsum expressisse, quam *Hippolytum*; modo enim sexui sequiori maledicat, nihil pensi habuit, num absurda proferat, aut verisimilia. Vix in fine orationis huius v. 654. castitas *Hippolyti* elucet. Meliora sunt illa, quæ prius dixerat, v. 601. cum ex Nutrice de insania *Phædræ* audivisset.

Deinde, quam leviter res transigitur redeunte *Theseo*, ubi *Hippolytus* ei occurrit in primo furore, quod melius cavit *Seneca*, ut supra quoque dictum est. Sane non est verisimile, *Theseum* filium suum tam placide allocuturum fuisse, quū vix verba
tanto